



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CCIII. An quo superior Angelus est, eo per pauciores species
intelligat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Superiores Angelos non intelligere per pauciores species existimant Scotus & Bassolis.

posse, vt plura obiecta per vnam speciem repræsentata in vnam rationem cõmunem conueniant, quod non negamus. Cæterum quamuis concederemus plures res, quæ repræsentantur, vna specie, debere in vnam communem rationem conuenire: argumentum Scoti solum contra Henricum probaret, non posse esse vnam speciem, seu qualitatem respectu omnium rerum intelligibilem, quia omnes non possunt in vnam communem rationem conuenire: at prædicta ratio certè non probat, non posse plures res eadem specie repræsentari, quia plures possent in vnam communem rationem conuenire:

9.

Tertium enim argumentum Scoti nihil probat; vnum enim potest esse ratio cognoscendi aliud dupliciter. Primum quatenus prius cognitum est, & hoc modo rectè docet Scotus, id, per quod aliud cognoscitur, debere esse aut rationem illius, aut illud formaliter continere: sic autem species non est ratio cognoscendi obiectum, quod repræsentat: quia neque est ratio illius, neque aliud formaliter in se continet. Deinde vnum est ratio cognoscendi aliud, non prius cognitum, sed vt species illius, quatenus est principium elicendi cognitionem illius rei, vel quatenus est ipsa actualis repræsentatio cognitionis: & hoc modo non debet in se formaliter habere illud, quod facit cognosci, nec debet esse ratio illius, sed satis est, si illud repræsentet. Quare etiam si vna species expressa, aut impressa multarum rerum sit, non sequitur, eam in se continere formaliter rationes diuersarum rerum, aut eandem esse rationem formalem ipsarum: hoc autem in omni opinione manifestum est. Quis enim dicat, speciem hominis esse hominem, aut eiusdem rationis cum homine? & sic de alijs.

10.

Hinc etiam soluitur ratio quarto loco adducta in confirmationem prioris sententiæ. Namque duobus modis vnum potest esse similitudo alterius, altero modo ratione qualitatis, aut formæ eiusdem rationis, quæ dicitur similitudo de secundo genere relationum, qualis est inter duo alba: altero modo potest esse vnum similitudo alterius, cum tamen sint diuersæ omnino naturæ, ea solum ratione, qua vnum alterum repræsentat, cognitione nimirum, aut principio cognitionis. Priori modo repugnat, vnam qualitatem, aut rem pluribus assimilari; & ita repugnat vnum similitudinem genere plurium rerum, quia idem non potest habere qualitatem, aut formam eandem cum forma & qualitate plurium. Posteriori autem modo non repugnat, eandem qualitatem esse similitudinem multorum: quia eadem qualitas potest plura repræsentare, vel actu, vt species expressa, vel habitu, sicuti impressa, eo quod hæc repræsentatio non sit secundum identitatem in forma.

DISPVTATIO CCIII.

An quo superior Angelus est, eo per pauciores species intelligat.

Superiores Angelos non intelligere per pauciores species existimant Scotus & Bassolis, c. 1.

Angelos superiores non solum Hierarchia & ordine, sed etiam natura intelligere per pauciores species Thomista dixerunt, c. 2.

Dua alia Scholasticorum sententiæ, c. 3.

Quid in hac sententiâ sit, c. 4.

Varia sunt Scholasticorum placita in præfati controuersia, cum tamen nullus eorum certo aliquo fundamento nitatur. Referam igitur ea figillatim, & vltimo tandem nihil certi in hac re definiri posse, demonstrabo. Prima sententia sit Scoti & Bassolis locis allegatis superiori dubio, qui affirmant, Angelos superiores non intelligere per pauciores & vniuersaliores species; idemque asserere debet Ricardus, qui sentit, per vnam speciem non posse plura repræsentari: allegatur etiam pro hac opinione quotquot dixerunt, Angelos accipere species à rebus, cum tamen ex priorum sententia inde non sequatur, quoniam illi solum dixerunt, species rerum singularium & futurarum accipi à rebus & earum, quas Angeli non cognoscunt à principio: concesserunt tamen species Angelis congenitas earum naturarum, quas ab initio cognoscunt, in quibus quædam esse vniuersaliores existimate potuerunt. Fundamentum huius sententiæ nullum aliud esse potest, nisi quia vna & eadem qualitate non possunt plura repræsentari. Nam si possunt, non video, qua certa ratione negari queat, superiores Angelos per pauciores species intelligere. Cæterum cum superiori disput. ostensum sit, eadem qualitate indistincte posse plura simul repræsentari, non video aliquid obesse, quominus superiores per pauciores species intelligant. An vero hoc ita esse, aliquæ etiam ratio demonstret, inferius dicemus.

Angelos superiores non solum Hierarchia & ordine, sed etiam natura intelligere per pauciores species Thomista dixerunt.

Communis inter Thomistas opinio est, quam S. Thom. in hoc art. in ratione suæ concordat, indicauit, & plane sequuntur Caietan. & recentiores Theologi in hunc artic. & Caput. in d. Cap. sim. 3. quæst. 2. art. 1. concl. 8. Angelos non solum Hierarchia superioris & ordinis, sed etiam excellentioris naturæ intra eandem Hierarchiam, & ordinem per pauciores species intelligere: quam sententiam confirmant ex Dionys. 12. cap. de causis Hierarch. vbi inquit, superiores Angelos habere scientiam magis vniuersalem, quam inferiores: & ex libro de causis apud Aristot. vbi in 10. propos. hæc opinio expressa est. Et demum ratione, quia aut dicendum est, omnes Angelos habere species æquè vniuersales: quod videtur falsum, cum perfectior Angelus perfectius debeat intelligere, quam inferior, atque adeo per species magis vniuersales, quam alij, debent habere species magis vniuersales, quam alij, debent esse superiores non solum in ordine & Hierarchia, sed etiam in natura: id quod ratio quoque S. Thomæ confirmat. Nam quo perfectior est aliqua natura intellectus, eo est Deo magis similis in modo cognoscendi, & perfectione intellectus: perfectio autem intellectus in eo maxime consistit, vt per vnam simplicem essentiam tam varia cognoscatur, et ego perfectio Angeli in eo etiam est, vt per pauciores species plura intelligat.

Addit præterea Caietan. hoc ita verum esse, vt superioribus

supremus Angelus, qui nunc est, per vnicam tantum speciem omnia intelligat, quæ naturali sua virtute cognoscere potest.

Hæc sententia, quod attinet ad priorem eius partem, non continet quidquam absurdum, ratione tamen firma non constat. Primo quia non satis certum est, an Angeli specie differant, ut disputat 181. monstratum est. Quod si Angeli non differunt specie, certum esse non potest, Angelos perfectiores secundum gradum individua naturæ per pauciores aut perfectiores species intelligere. Quod si concedamus singulos specie differre, adhuc non sequitur perfectiores Angelos per species perfectiores & pauciores intelligere: Nam aut huiusmodi species sunt sola Dei voluntate Angelis communicata, & ita quis scire potest, diuersas species, vel eiuſdem rationis singulis fuisse concessas? quod enim Angeli perfectioris naturæ perfectius intelligant, non est necesse provenire ex perfectioribus speciebus intelligibilibus: si quidem perfectior intellectus cum æquali specie perfectius intelligit, eo quod ea virtutem tanquam instrumentum iuxta suam efficacitatem, & virtutem, & inter homines hoc quotidie videmus: atque hæc sola ratione Angelus superioris naturæ eo magis assimilaretur Deo, quo perfectius intelligeret: nec opus esset, in eo magis assimilari, quod per species perfectiores, vel pauciores cognosceret. Hæc igitur via nobis constare non potest, Angelum perfectioris naturæ per species perfectiores, aut magis vniuersales intelligere. Aut species intelligibiles, quas Angeli habent, oriuntur ex ipsorum essentia veluti passionem, ut quidam arbitrantur. Et hoc modo rectè videtur sequi, perfectiores species Angelis perfectioris naturæ conuenire. Nam accidentia & passionem, quæ naturam aliquam consequuntur, & ab ea, ut à principio dimanant, iuxta mensuram naturæ procedunt, & à diuersis naturis diuersæ; ex hoc tamen non fit, ut species superioris Angeli debeant esse vniuersaliores & pauciores: postquam enim aliquis concedere perfectiores quidem procedere à perfectiori natura, non quia plura, sed quia perfectius eadem repræsentent. Et hæc circa priorem partem huius sententiæ.

Posterior vero pars, quam addidit Caietanus, vel ea sola ratione optime confutatur, quod absolute villo fundamento, aut ratione eam asseruit. Primum, quia nemo est, qui rectè metiri valeat proportionem, quam vnus Angelus cum alio habet respectu rerum omnium intelligibilium, ut tandem asserat, supremum Angelum in ea proportionem excedere reliquos, ut omnia intelligibilia vnica tantum specie completatur, quæ alij pluribus speciebus intelligunt. Tum etiam, quia ea ratione asserere debemus, supremum Angelum propria virtute posse, cum voluerit res omnes vnico intuitu contemplari: quod quidem ita difficile apparet, ut sine magno fundamento, & ratione non sit affirmandum. Adhæc, si alius Angelus superior supremo, qui nunc est, crearetur in opinione Caietani deberet esse alterius speciei: ergo per pauciores species deberet intelligere, quam ille, qui nunc supremus est: atqui non posset per pauciores, quam per vniam intelligere: ergo non est dicendum, Angelum supremum, qui nunc est, omnia per vniam tantum speciem intelligere. Respondet Caietanus, in eo calu adden-

dam fore nouam quandam speciem singulis Angelis inferioribus, qua cognoscerent: in illo autem omnium supremo futuram vniam speciem tantum, qua cognosceret omnia; sed in eo, qui antea erat supremus, permanens vniam speciem respectu omnium inferiorum, tam spiritualium quam corporalium, & quandam aliam illi addendam, qua cognosceret Angelum sibi superiorem tunc creatum: hoc tamen non minus commentitium est, & pro libito à Caietano confictum. Quia enim ratione hæc specierum diuisionem quisquam suadere poterit: Præterea, si Angelus, qui nunc est supremus, cognosceret omnia sibi inferiora tam spiritualia, quam corporalia per vniam speciem, & creato superiori Angelo, solum et adderetur noua species, ut superiorem illum intelligeret: eadem ratione de reliquis, qui nunc sunt, dicere debemus, nempe vnica tantum specie intelligere tam corporalia omnia, quam spiritualia, sibi inferiora, & species in ipsis solum multiplicari ut superiora cognoscant: quare quo aliquis superior est, non intelligit materiales, & spirituales inferiores se per pauciores species, sicut hæc opinio adstruere videtur, ut in hoc superiori Angelus magis Deo assimilaretur. Quod si respectu harum rerum non oporteat assignare superiori Angelo pauciores species, nec respectu aliarum oportebit. Lege Agidium loco seq. cap. allegando, qui latè profequitur, quo modo necessarium non sit, supremum Angelum per vniam tantum speciem intelligere, etiam si eo per pauciores species Angeli intelligant, quo sunt superiores.

Ex his, quæ diximus, constat, necessarium non esse, ut maior Angeli perfectio Deo in hoc assimilaretur, quod per pauciores species intelligibiles intelligat res omnes, quam inferior; sed satis est, si eas perfectius intelligat. Testimonium vero Dionysij, si rectè inspiciatur, nihil probat: solum enim contendit ille, plurimum rerum scientiam ipsis inesse, & hoc est quod dixit, vniuersaliorum eorum scientiam esse. Verba Dionysij, secundum translationem Perionij sunt: *Sanctorum Cherubin ordo sapientia, scientia, altioris est participes, ordines autem eorum essentiarum, quæ eis subiecta sunt, participes quidem etiam ipsi sunt & sapientia & scientia: sed tamen eius quæ pars est ad illos, & quæ inferiorem locum tenet. Vult ergo docere Dionysij, inferiores Angelos pauciora scire, & ideo eorum scientiam appellauit partem scientiæ Angelorum superiorum, quam antiqua translatio particularem scientiam vocauit. De speciebus autem, quas Scholastici tribuunt Angelis, ut principium sint cognitionis, ne verbum quidem habet Dionysij. Fateor tamen, librum illum de causis in ea fuisse sententia, ut assereret superiores Angelos per pauciores species intelligere: tamen liber ille minoris est authoritatis, quam ut opinio Thomistarum eo sit comprobanda & confirmanda: nec enim est Aristoteli, sed aut Procli, aut Auempacæ, vel Alpharabij De alio vero testimonio Dionysij, quod magis huic sententiæ fauet, cap. vlt. dicemus.*

CAPVT III.

Dua alia Scholasticorum sententiæ.

Tertia opinio est eorum, qui dicunt Angelos superioris ordinis per pauciores species intelligere, quam Angelos inferioris: Angelos tamen eiusdem ordinis

men

*Andreas
dem species
habere.*

*Aegidius.
Ferrari.*

Henricus.

men eiusdem ordinis, etiam si specie differant, eadem omnino species rerum habere, solumque inter se differre, quia superioris naturæ Angeli intra eundem ordinem intelligunt perfectius eandem res per eandem species, eo quod perfectioris sint intellectus. Hanc sententiam ut probabilem defendit *Aegidius* in 2. dist. 3. part. 2. quæst. 2. art. 2. ad 4. dub. Sed expressè eam amplectitur *Ferrari*, 2. contra gen. 6. 98. 9. Circa conclusionem. Fauet quoque *Henricus* d. illa 3. q. 4. art. 4. ubi asserit, omnes Angelos, qui in eodem genere proximo conveniunt, habere æquales species intelligibiles; & ita quo sunt superioris generis, habere pauciores species intelligibiles, non tamen quo sunt superioris naturæ secundum speciem. An vero omnes, qui conveniunt in eodem proximo genere, sint eiusdem ordinis, non explicat. Cæterum in quovis Angelo perfectioris naturæ etiam secundum speciem concedit clariore species intelligibiles, quam in alio inferioris naturæ. Confirmat autem *Ferrari* hanc suam sententiam primum ex *Dionysio*, 12. cap. de celesti hierarch. Deinde quia videmus multa bruta animalia secundum speciem diversa: ex quibus ea, quæ perfectiora sunt, non habent pauciores facultates sentiendi: ergo eadem ratione necesse non est, in Angelis, quo perfectioris naturæ sunt, pauciores esse species intelligibiles: quam rationem sumpsisse videtur ex *Aegidio*.

Verum eadem quoque ratione probari posset, nec in Angelis superioris ordinis debere esse pauciores species, testimonium vero *Dionysii*, quam parum probet, iam superius ostensum est; quare & hæc sententia *Ferrari* non habet firmum admodum fundamentum.

Henricus.

Quarta opinio est *Henrici* quodlib. 5. quæst. 14. qui docet, quemcumque Angelum omnia intelligere per unam qualitatem seu habitum, non per plures species; quamvis asserit, illum habitum dici posse quodammodo speciem. Supponit autem id, quod *Sapor* affirmavit, si darentur species intelligibiles in Angelo, tot esse futuras, quot essent obiecta: negat autem plures species in Angelo, & unum habitum tantum concedit; quia si plures essent species intelligibiles, simul moverent intellectum Angeli ad intelligendum omnia obiecta. Nam si in nobis plures species, quas habemus, id non efficiunt, sed nunc ad unum obiectum movemur, postea ad aliud: causa est manifesta: cum enim indigeamus etiam sensu ad intelligendum, & sensus non moveatur simul ad omnia, sed nunc ad unum deinde ad aliud obiectum, intellectus etiam ad omnia simul non movetur: at in Angelis hæc ratio locum non habet. Si vero ponatur unus habitus in singulis Angelis, quem appellat *Henricus* habitum scientiæ, non sequitur idem incommodum, quia habitus ille inclinatur primo ad unum primum obiectum, & deinde ad reliqua: non tamen ostendit hic author, quodnam sit primum illud obiectum, & quomodo deinde ad reliqua successivè non simul Angelus moveatur.

Refellitur.

Ego tamen non video, cur *Henricus* plures species Angelis non concedat, & unum tantum habitum illis tribuat. Quoniam licet Angelus habeat plures species plurium rerum, ab eis tamen non determinatur ad primam cognitionem: ad primam inquam, non solum quam habuit initio creationis, sed à qua incipit genus aliquod nego-

tij ita cogitari, ut illa cognitio ex alia orta non fuerit, ut in nobis contingit, sed ad hanc determinatur à Deo, ut 1. 2. q. 9. art. ult. dicemus, & *Augustinus*, de civitate 7. lib. ad Eudemum circa finem, ubi dicit primam cognitionem in nobis esse à bona forma, manifeste tamen divino instructa & directa. Difficile etiam est ostendere, quomodo ex uno habitum ad hoc potius obiectum, quam ad aliud Angelus determinetur, ut contra eundem *Henricum* superius dicebam. Quare hac ratione non debuit plures species Angelo denegare.

CAPIT. IV.

Quid in hac re sentiendum sit.

Ego vero existimo, rem hanc ita esse à se habere, & ratione hominis remotam, ut nihil certi de illa affirmare possimus, non solum certa aliqua & manifesta ratione, sed neque probabilis conjectura. Nam quamvis in uno, aut alio modo philosophandi non possimus manifestam contradictionem deprehendere: ob id tamen non debemus asserere, hoc, aut illo modo species in Angelis esse, nisi ad id aliqua alia ratione invocamus. Hanc autem ego existimo non suppetere, ut hoc potius modo, quam illo Philosophemur. Quare in re ita à seculo & Philologia humana remota nihil affirmare, commodius est, quam sine certa ratione aliquid asserere. Ideo mitto multa alia, quæ Theologi recentiores ex suo sensu extorserunt, ut quique suam tueretur opinionem, addunt enim species in Angelis prout libet.

Sed obijciat quis nobis iterum *Dionysio*, 12. cap. de celesti hierarch. Satis ante medium, ubi videtur asserere, superiores Angelos per pauciores species intelligere: ostendens enim, quomodo lingua corporis nostri membra similitudine quadam & metaphora Angelis tribuantur, de dentibus inquit; *Dentes id quod alimenti adhibiti, dantur, unaqueque enim essentia, que mente prædita est, vivam intelligentiam, quam à divinitate tractantur accipi, in quibus quæ alijs natura consunt, dantur, atque amplificat pro captu & ductu inferiori.* Si ergo superior Angelus inferiori distribuit in plures conceptus, id quod ipse unico tantum intellexerat, ut in eis, quod novit, captui inferioris adaptet, signum est, superiores per pauciores species, quam inferiores intelligere.

Respondeo *Dionysio*, non loqui de notitia rebus, quas Angelus superior & inferior naturaliter scit, quasi de his sentiat, inferiorem Angelum per plures species intelligere: sed loquitur de his rebus, quas superiores Angeli sola divina revelatione cognoscunt: has autem inquit cognoscit ab Angelo superiori unico conceptu perfectiori, cuiusque distribui inferioribus in plura, ut quisque pro captu suo melius illa intelligat. Horum autem inferiorum non sunt propria species in Angelo. Quod si de rebus naturalibus sit sermo, cum eis quicumque Angelus naturaliter cognoscit, dicitur sunt, fieri nequit, ut superior debeat in plures conceptus eas dividere, ut tradat inferiori melius intelligendas. Quocirca inferius disputat, non posse à superioribus illuminari in rebus, quas naturaliter unusquisque illorum cognoscit, sed in ijs tantum, quæ divina revelatione accipiunt.

QVÆST.

QVÆSTIO LVI.

De cognitione Angelorum ex parte rerum immaterialium.

Deinde queritur de cognitione Angelorum ex parte rerum, quas cognoscunt. Et primo de cognitione rerum immaterialium. Secundo de cognitione rerum materialium.

Circa primum queruntur tria.

ARTICVLVS I.

Virum Angelus cognoscat seipsum.

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Angelus seipsum non cognoscat. Dicit enim Dionysius 6. cap. Eccles. Hierarc. quod angeli ignorant proprias virtutes. Cognita autem substantia cognoscitur virtus, Ergo Angelus non cognoscit suam essentiam.

2. Præterea. Angelus est quædam substantia singularis, alioquin non ageret, cum actus sint singularium subsistentium. Sed nullum singulare est intelligibile. Ergo non potest intelligi. Et ita cum angelo non adfit, nisi intellectiva cognitio, non poterit aliquis Angelus cognoscere seipsum.

3. Præterea. Intellectus mouetur ab intelligibili: quia intelligere est quoddam pati, ut dicitur in 3. de anima. Sed nihil mouetur, aut patitur à seipso, ut in rebus corporalibus apparet. Ergo angelus non potest intelligere seipsum.

Sed contra est, quod Augustinus dicit super Genes. ad lit. lib. 2. quod angelus in ipsa sua confirmatione, hoc est in illustratione veritatis, cognouit seipsum.

Respondeo dicendum, quod sicut ex supra dictis patet, obiectum aliter se habet in actione, quæ manet in agente, & in actione, quæ transit in aliquid exterius, Nam in actione, quæ transit in aliquid exterius, obiectum siue materia, in quam transit actus, est separata ab agente, sicut calefactum à calefaciente, & ædificatum ab ædificante. Sed in actione, qua manet in agente, oportet ad hoc, quod procedat actio, quod obiectum vniatur agenti, sicut oportet, quod sensibile vniatur sensui ad hoc, quod sentiat actu, & ita se habet obiectum vnitum potentie ad huiusmodi actionem, sicut forma, quæ est principium actionis in alijs agentibus. Sicut enim calor est principium formale calefactionis in igne, ita species rei visæ est principium formale visionis in oculo. Sed considerandum est, quod huiusmodi species obiecti quandoque est in poten-

tia tantum in cognoscitiua virtute: & tunc est cognoscens in potentia tantum. Et ad hoc, quod actu cognoscat, requiritur, quod potentia cognoscitiua reducat in actum speciei. Si autem semper eam actu habeat, nihilominus per eam cognoscere potest absque aliqua mutatione vel receptione præcedenti. Ex quo patet, quod moueri ab obiecto non est de ratione cognoscentis in quantum est cognoscens, sed in quantum est potentia cognoscens. Nihil autem differt ad hoc, quod forma sit principium actionis, quod ipsa forma sit aliquando in hærens, & quod sit per se subsistens. Non enim minus calor calefaceret, si eilet per se subsistens, quam calefacit in hærens. Sic igitur etsi aliquid in genere intelligibilem se habeat, ut forma intelligibilis subsistens, intelligit seipsum. Angelus autem cum sit immaterialis, est quædam forma subsistens, & per hoc intelligibilis actu. Vnde sequitur, quod per suam formam, quæ est sua substantia, seipsum intelligat.

Ad primum ergo dicendum, quod littera illa est antiquæ translationis, quæ corrigitur per nouam, in qua dicitur. Præterea, & ipsos, scilicet Angelos cognouisse proprias virtutes. Loco cuius habebatur in alia translatione, & adhuc eos ignorare proprias virtutes. Quamuis etiam littera antiquæ translationis saluari possit, quantum ad hoc, quod angeli non perfecte cognoscunt suam virtutem secundum quod procedit ab ordine diuinæ sapientiæ: qui est angelis incomprehensibilis.

Ad secundum dicendum, quod singularium, quæ sunt in rebus corporalibus, non est intellectus apud nos, non ratione singularitates, sed ratione materie, quæ est in eis indiuiduationis principium. Vnde si aliqua singularia sunt, sine materia subsistentia, sicut sunt angeli, illa nihil prohibet intelligibilia esse actu.

Ad tertium dicendum, quod moueri & pati conuenit intellectui, secundum quod est in potentia. Vnde non habet locum in intellectu angelico, maxime quantum ad hoc, quod intelligit seipsum. Actio etiam intellectus non est eiusdem rationis cum actione, quæ in corporalibus inuenitur in aliam materiam transcurrente.

Conclusio est, Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam.

DISPUTATIO CCIV. Quomodo Angelus seipsum cognoscat,

Opinio Scoti, & aliorum, cap. 1.

Angeliam